

2

**BULLARUM**  
**DIPLOMATUM ET PRIVILEGIORUM**  
**SANCTORUM ROMANORUM PONTIFICUM**  
**TAURINENSIS EDITIO**

LOCUPLETIOR FACTA  
COLLECTIONE NOVISSIMA PLURIUM BREVIUM, EPISTOLARUM, DECRETORUM ACTORUMQUE S. SEDIS  
A S. LEONE MAGNO USQUE AD PRAESENS

CURA ET STUDIO  
COLLEGI ADELECTI ROMAE VIRORUM S. THEOLOGIAE ET SS. CANONUM PERITORUM

QUAM


**SS. D. N. PIUS PAPA IX**

APOSTOLICA BENEDICTIONE EREXIT

AUSPICANTE

EMO AC REVMO DNO S. R. E. CARDINALI

**FRANCISCO GAUDE**



**TOMUS VI**

ab HADRIANO VI (an. MDXXII) ad PAULUM IV (an. MDLIX)

**AUGUSTAE TAURINORUM**  
SEB. FRANCO ET HENRICO DALMAZZO EDITORIBUS

MDCCCLX

mature super voto per eos ferendo delibarent.

Datum Romae, die Veneris, tertia mensis decembris, millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo, in consistorio.

Dat. die 3 dec. 1557, pontif. an. III.

### XIX.

*Restitutio festivitatis Cathedrae S. Petri apostoli Romae, pro die decima octava mensis ianuarii, in toto orbe, praeservata alia festivitate Cathedrae Antiochenae, iuxta ritum, die vigesima secunda mensis februarii celebranda.*

**Paulus episcopus servus servorum Dei,  
ad perpetuam rei memoriam.**

S. Petrus cathedram episcopalem Romae constituit tandem una cum Paulo Urbem martyrio consecravit, et ideo magistra veritatis et orbis caput illa effecta est.

Ineffabilis divinae Providentiae altitudo, quae, nullis inclusa limitibus, coelestia pariter et terrena disponit sui recti censura iudicii, voluit ut beatus Petrus apostolorum princeps, cui prius a Salvatore nostro Domino Iesu Christo dictum fuerat *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, postquam Antiochiae aliquandiu resederat, Romam veniens, cathedram in ea constitueret episcopalem, eamque vigintiquinque annis regeret, et demum, Simonis Magi detectis fallaciis et elusis praestigiis, ipsoque Simone Mago superato, idem Petrus et cum eo gloriosus coapostolus suus Paulus, vas electionis, Romanam Ecclesiam plantarent et suo sanguine consecrarent, ut ubi caput superstitionis erat, illic caput existeret sanctitatis, et ubi gentilium principes habitabant, ecclesiarum principes morarentur; et quae prius erat magistra erroris, fieret magistra veritatis, essetque ibi gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia, et per sacram beati Petri cathedram ipsa urbs, caput orbis effecta, latius praesideret religione divina,

534 An. C. 1558  
quam antea praesedisset dominatione terrena. Verum, licet urbs ipsa multo plus debeat eidem Petro, qui eam per cathedram episcopalem in ea constitutam re-gnis coelestibus inserendam condidit, quam illis, quorum studio prima moenium suorum fundamenta iacta fuerunt, ex quibus is, qui illi nomen dedit, fraterna eam caede foedavit, festivitatem tamen ipsius Cathedrae, quae, iuxta antiquissimorum sanctorum Patrum nostrorum testimonium, quintodecimo kalendas februarii fuit, et in diversis orbis christiani et praesertim Galliae et Hispaniae partibus dicta die solemniter celebratur, minime observet, celebretque solum festivitatem Cathedrae Antiochenae, quae octavo kalendas martii, iuxta eorundem Patrum testimonium, fuit, tamquam idem Salvator noster, qui saepius infirma eligit ut fortia quaeque confundat, non respiciens imbecillitatem nostram, festivitatem Cathedrae, qua ipse Petrus apostolus Romae primum sedit, nostris temporibus celebrandam, seu potius antiquae celebritati restituendam reservaverit.

§ 1. Quamobrem, considerantes quod si in hac urbe Cathedram ecclesiae Antiochenae pie et solemniter veneramus, iustum est etiam et conveniens ut festivitatem Cathedrae, qua praefatus apostolus Romae primum sedit, eo solemniter et magis pie celebremus, quo magis urbs ipsa illi tenetur et debet, non dedignantibus etiam inferiores ecclesias in hoc imitari, festivitatem Cathedrae, qua idem beatus Petrus Romae primum sedit, eodem die quintodecimo kalendas februarii, non solum in hac alma Urbe, verum etiam in universis orbis ecclesiis, etiam in quibus illa ad praesens celebratur, sub duplici officio, annis singulis, perpetuis futuris temporibus, solemniter celebrari volumus, statuimus et mandamus.

§ 2. Festivitati alterius Cathedrae, quae

Ideo hic Pontifex festivitatem Cathedrae S. Petri Romae, sub duplici officio celebrari iubet die xviii ianuarii.

Aliud festum  
praeservat.

dicto die octavo kalendas martii celebra-  
tur, nihil propter hoc detrahendo, sed  
illam, iuxta laudabilem hactenus super-  
inde observatam consuetudinem, celebrari  
debere docernendo.

Sanctio poe-  
nalis.

§ 3. Nulli ergo omnino hominum etc.  
Datum Romae apud Sanctum Petrum,  
anno Incarnationis dominicae millesimo  
quingentesimo quinquagesimo octavo, VIII  
idus ianuarii, pontificatus nostri anno III.  
Dat. die 6 ianuarii 1558, pontif. anno III.

## XX.

*Sancita et declarationes super resignatio-  
nibus beneficiorum publicandis infra  
sex menses* 1.

**Sanctissimus in Christo pater et dominus noster  
dominus Paulus divina providentia Papa IV.**

§ 1. Qui in crastinum suae ad summi  
apostolatus apicem assumptionis, praede-  
cessorum suorum vestigiis inhaerendo,  
inter alia, statuit et ordinavit, prout etiam  
singuli praedecessores praefati statuere  
et ordinare consueverant, quod quaecum-  
que beneficia ecclesiastica in Romana Cu-  
ria resignata, nisi de illis factae resigna-  
tiones infra sex menses a die datae pu-  
blicationis, et non a die praestiti consen-  
sus computandos, ubi beneficia ipsa con-  
sisterent, vel possessio illorum ab eis,  
quos id contingeret, petita extitisset, si  
resignantes illa postmodum in eorumdem  
resignatorum beneficiorum possessione  
decederent, non per resignationem, sed  
per obitum huiusmodi vacare censerentur.  
Collationes quoque et quaevis aliae  
dispositiones de illis, tamquam per resi-  
gnationem vacantibus, factae et inde se-  
quuta quaecumque nullius sint roboris  
vel momenti.

§ 2. Et cui nuper innotuit nonnullos,

1 Ex Regest. in Archiv. Vatic.

etiam iuris peritos et dictae Curiae offi-  
ciales ac causarum Palatii Apostolici au-  
ditores, contendere quod resignationes de  
beneficiis in manibus praedecessorum San-  
ctitatis Suae factae statuto et ordinationi  
praedecessorum huiusmodi, tamquam illa  
per obitum eorumdem praedecessorum  
expiraverint, non subiiciantur, et sub sta-  
tuto et ordinatione Sanctitatis Suae, tam-  
quam futura et non praeterita concernen-  
tibus, non comprehendantur; et sic occa-  
sionem praestare ut fraus fiat legi, et re-  
signationes huiusmodi infra dictos sex  
menses non publicentur, nec ipsorum re-  
signatorum beneficiorum possessio ab eis,  
quos id contingit, petatur; quinimo resi-  
gnantes ipsi beneficia per eos resignata  
usque ad eorum obitum sine aliquo titulo  
detineant et eorum fructus percipiant in  
animarum suarum perniciem, et persona-  
rum, de eisdem beneficiis tamquam per  
obitum vacantibus pro tempore provisari-  
um, detrimentum.

§ 3. Volens periculis animarum occur-  
rere et indemnitati personarum huiusmodi  
consulere, declaravit suae intentionis sem-  
per fuisse et esse ut quaecumque resi-  
gnationes de quibusvis beneficiis ecclesia-  
sticis, etiam in manibus praedecessorum  
huiusmodi eatenus factae et nondum suum  
plenarium effectum sortitae, etiam si infra  
sex menses obitum eorumdem praedeces-  
sorum praecedentes factae, nec super illis  
consensus tempore eorumdem praedeces-  
sorum praestiti fuerint, statuto et ordina-  
tioni suis praedictis subiicerentur et su-  
biiciantur de praesenti, et sub illis compre-  
henderentur et comprehendantur de praesenti:  
quodque si, non satisfacto statuto et  
ordinationi suis huiusmodi, ii, qui benefi-  
cia praedicta in manibus eorumdem praede-  
cessorum resignaverant, in eorumdem  
resignatorum beneficiorum possessione de-  
cederent, beneficia ipsa non per resi-  
gnationem, sed per obitum huiusmodi

Cum tamen  
nonnullae orae  
fuerint contra-  
versae super  
beneficiis resi-  
gnatis tempo-  
ribus praede-  
cessorum Pon-  
tificum,

Rem clarior  
declarat.